AD

# SIGISMVNDVM III. POLONIAE REGEM

F. MATTHAEI ZAVACII ROXOLANI Axiomata Theologica.




ROMAE, Ex Typographia Titi & Pauli de Dianis, 1588.

SVPERIORVM PERMISSV.

# EPIGRAMMA.




*HINC Aquila nixus propria tolleris ad aſtra,*
*Atque citus pinnis culmina celſa petes.*
*En tibi in arctoo θῶκον dedit orbe ὁλόλαμπον,*
*Alite qui niueo peruoluat omne Deus.*
*Flammiferis vectum vinces Titana quadrigis,*
*Pergelidum Phœbes ſub pede ſydus habens.*
*Tranſcendes rutilis minitantem monſtra figuris*
*Signiferum, luſtrans liquida Regna Deum.*
*Inque tuo fixis gaudens mirabere ocellis*
*Sole iubar ſacrum, perpetuumque decus.*
*Prima tamen virtutis erit tibi cura tuorum*
*Sydereas illi qua petiere domos.*
*Cuius vt ingenuè monumenta, en cernis, aperta*
*Oſtentet ſonipes, arma virumque ferens.*
*Hæc rigidis poſſent quæcunque renitier iris*
*Lenta dabit, vaſta hac ſub iuga regna ruent*
*Arx eſt illa ſibi, celſas ipſa eruit arces,*
*Infera conculcans, ardua quæque rapit.*
*Nil timet horrendo Martis ſe credere campo,*
*Nil miſcere pauet grandia bella mari.*
*Quid iuuat hanc contra pharetra contendere Parthum?*
*Illæſa regerit tela inimica manu.*
*Illa ſuos ciues curuum ſuper æthera ducit,*
*Igniuomum, & lætos vult habitare polum.*
*Te quoque conſpicuo tempus diademate cinctum,*
*Mortalem ſuperis inſeret vſque choris.*



# SIGISMVNDO TERTIO
## POLONIAE REGI POTENTISS. MAGNO DVCI LITVANIAE, RVSSIÆ PRVSSIÆ ETC.

Necnon Suecorum, Gotthorum, Vandalorum proximo Principi hæreditario, & Regi designato: Magni principatus Finlandiæ hæredi

*F. Matthæus Zauacius Roxolanus Minorum Obseruantium alumnus* ΕΥ ΠΡΑΤΤΕΙΝ.



QVI esse poterat REX AMPLISSIME, vt toto regno, quod diuina prouidentia nuper administrandum suscepisti, ac vniuerso penè orbe tibi gratulari gestiente, solus ego in veneranda sacrarum disciplinarum mercatura extra patriam occupatus, conceptam animo lætitiam, pectore diutiùs cohiberem? Id enim rerum tuarum peculiari quodam iure venlicat ingenium, vt omnes in tui admirationem amoremque pellicias, cum eam cunctarum virtutum significationem, in iam transacta multò fælicissimè perquàm tenera ætatula, vniuersis semper dederis, vt ex æquo singulorũ oculos in te conuerteris, atque adeò non absque summa expectatione defixeris. Ita sanè ad te solum vota ominaque pertinent omnium, vt suscepti regni, sexcẽtorum malorum (post aui tui Sigismundi nunquam satis laudati obitum) incommodis laborantis, perpurgandi, ac in pristinum religionis honorisque gradum restituendi vniuersa in te vnum spes sit coniecta. Me itaque, cum & patriæ reflorescentis species, quam mihi animo iam con-

templari videor, tum etiam orthodoxæ fidei, locis quibusdam collapsæ, tuo munere instaurandæ stabiliendæque, constantissima fiducia ( quæ duo in prima certè gaudiorum meorum parte colloco ) vt tibi officium meum quàm humillimè probarē, nobilissimique auspicia imperij debitó prosequerer obsequio, summè coëgere. Ergo quærēda haud nequicquam de te merendi occasione, forte fortuna obtigit, ea in lucem parta ædere, quæ iam aliquanto tempore mente parturieram, hæc inquam, extracta Theologica facultate axiomata. Cumque ad eius propositi perficiendi studium, præter exiguos ingenij lacertos, eosque inermes ac nudos omnino, reliqui haberem nihil: resque mihi ageretur huiusmodi, quæ tantæ maiestatis præsentata obtutibus, nauseam potiùs irrogare, quàm oblectamenti aliquid afferre posse videretur: quanquam venerabundus totus, rubore inde suffunderer non exiguo, spe tamen fultus haud mediocri quantulumcunque id, humanitati tuæ dicandum putaui. Hac enim ratione existimabam fore, vt qui iam inde à pueritia maiorum pijssima imbutus disciplina, auito maternoque syderi par sit, & quàm simillimus; quique liberalitatem beneficentiáque regiam vnà cum lacte imbiberit: illius pietati pia istæc multò conuenientissimè ascribi possent monumenta; atque proprijs viribus diffisa, omniique luce destituta, eius clementiæ munere amplectenda, munificentiæq; splendore tutanda essent atque collustranda. Hoc igitur obseruantiæ tui pignus clementer excipito, si rem suo mensus fueris pondere, leuidensæ illud quidem, tuaque magnificentia prorsus indignissimum: si verò offerentis voluntate suum exa minaueris meritum, reuera non exile: scitoque non minus regium esse modica benignè prompteque suscipere, quàm magna liberalissimè largiri. Vale.

# PROPOSITIONES EX VNIVERSA THEOSOPHIA DEPROMPTAE.

## DE THEOLOGIA IN VNIVERSVM.

1 THEOLOGIA, quam, vt inquit Aristoteles, si liuoris affectionibus Dij quoque fierent obnoxij, humanæq; fęlicitatis aliqua laborarent inuidentia, solam sanè hominibus inuiderent: quę etiam Dei propria & peculiaris est possessio, vniuersarumq; regina scientiarum; sapientiæ conuenientiùs quàm scientię dignanda est nomine: quippe quæ primam formam, primum efficiens, vltimumq; finem, altissima certè nobilissimaq; caussarum genera contemplatur.

2 Hæc omnibus rerum omnium anteuertit sua præstantia disciplinis, vtpote, quæ nulli alteri subalterna, Dei solius naturam, sub ea qua talis natura est ratione consyderans, ab illa suam speciem, modum, vnitatem, dignitatem, nomenq; sortitur, nec in ijs duntaxat, quæ Theologis Attributa vocantur, solisue proprietatibus, siue istæ vni, siue pluribus competant personis, contemplandis est occupata.

3 Huic diuinæ Sophiæ, obiectum suum naturam istiusmodi largitum est, vt nulla ipsius extet pars quæ Theorica sit omnino, sed vniuersa eius cognitio dirigendis aliarum ab intellectu potentiarum operibus sit aptissima: nec hoc sapientiæ, quod superius sibi detulimus, aliquatenùs officit repugnatue nomini.

4 Hanc mortalium nemo sola mentis humanæ facultate fretus sibi comparare potuit, cùm materia illi subiecta, Deus inquã Ter Max. in tenebris suum collocans latibulũ, omnem intellectualis naturæ potestatem effugiat, ac perquàm liberè cuiuis sese manifestet: eam tamen sua bonitate detrimenta conditionis miseratus humanæ, vt ne rationis particeps creatura suo penitùs frustraretur fine, veluti φωσφόρον quendam, cuius beneficio suũ faciliùs iter conficeret, mortalium animis benignissimè dignatus est præpandere.

5 Vt autem verum sit, plurima nobis solo fidei nunquam extinguendo commonstrari lumine: eorum tamen, quæ cunctis credenda proponuntur, nonnulla, necessaria quoque ratiocinatione colligi possunt: vt iam non inconueniens sit asserere, data status parilitate, hominum quemuis, eiusdem rei fidem ac firmam indubitatamq; scientiam habere posse, cum hoc nullatenùs Christianæ credulitatis peruertat tollatùe meritum.

# DE HIS QVÆ AD VNITATEM diuinæ essentiæ spectant.

6 FIDE itaque tenemus, necnon euidentissima ratione monstramus, Deum esse vnum, eundemque infinitum, simplicissimum, admistionis, compositionis, dimensionisque omnis expertem; purissimam ἐντελέχειαν et ab omni potestate alienissimam: summum quod est ipsumque eminentissimum; inexhaustum bonitatis immensæ pelagus, & (vt rectè Augustinus) nō alio bono bonum, sed bonum omnis boni: primum mouens omnino immotum, primum efficientem, qui à nullo, ab ipso verò reliqua manarint omnia: qui vniuersa ex nihilo condidit, quique suspiciendam hanc creandi virtutem ita sibi vendicauerit, vt nulli eam creaturæ largitus sit, neque etiam largiri potuerit. Summum tamen illud immediatumque in res omnes dominium, absolutissimaque naturæ diuinæ omnipotentia, solo fidei lumine potest fieri manifesta.

7 Hoc ergo quod solum verè est, ac præter quod (vt eruditè atq; laudabiliter clarus ille Platonis opinatur Sophista) nihil est, penes quod summa imperij mundi totius sita est, cuius suprema existit & in esse necessitas & in agendo libertas; adeò diuinam sublimemq; in rebus sortitum est naturam, vt non immeritò, immo multò conuenientissimè summi quiq; Philosophorū, in rerum coordinatione ad scientiam relata tantā eius habuerint rationē, vt neq; se, neq; aliquid eius vt eius est, in Categorias conijcere fuerint ausi, cum hoc summæ illius substantiæ perfectioni, simplicitatique τῆς διὰ πάντων sit contrarium.

8 Neque verò ex prædictis continuò eliciendum est, diuinam simplicitatem esse istiusmodi, quæ nullam omnino rerum rationumue in se admittat diuersitatem. Nihil enim minùs quàm id impedit quin admirandæ illius substantiæ perfectiones (quæ etiam per se formaliterq; sunt infinitæ) hypostases, proprietates personales, relationes communes, potentiæ, intellectus inquam & voluntas (quibus tertiam aliquam executiuam adiungi noluimus facultatem) re ipsa, & non solius mentis agitatione, ab inuicem discludantur, etiamsi infinitudine ceu vinculo quodam arctissimo inter se connexa, in vnam indiuiduam simplicissimamq; conueniant naturā. Vnde, cùm ex Platonis decreto, diuidendi periti cuiuspiā ceu diuinis sit insistendum vestigijs, obiter hic laudanda mihi sese offerunt, quatuor illa præcipua distinctionum genera: nempè ex rei natura formalis, rerum tantum, rerum & essentiarū simul, quæ non vt portenta quædam in Philosophia vitanda, sed vt apprimè necessaria, cuiuis indagatori veritatis sedulo sunt amplectenda.

# DE INTERNIS FVNCTIONIBVS ac de personis in commune.

9 IN diuina igitur, de qua loquimur, essentia, primùm admirabilem illum nec vnquam ratione peruestigatum humana ὑποστάσεων obseruare licet statum: vtpote quę eadem naturæ parilitate, concordi vita, necnon æquā gaudent potentia. Vnica est illis diuinitas, vnita perfectio, par, atque per omnia ęqualis maiestas. Tota denique illarum beatitudo, nō absimili rerum omnium modo, in actibus consistit secundis, intellectus nimirum, voluntatisq; perennibus vt ita dicam motionibus, quorum altero, vniuersa illius naturæ perspecta ac veluti circumscripta ratio, communem beatitudinem inchoat: altera verò debitus essentię cognitę amor impensus, fęlicissimum illud personarum diuina-

rum

rum esse absq; omni temporum intercapedine complet atque perficit. Hæ demum intellectus & voluntatis functiones, qui à Theologis actus operati nuncupari solent, improductę sunt omnino, ratione tantum à potentijs quarum sunt, diuersæ, cum Dei velle, ac (vt etiam author est Aristoteles) intelligere, sit suum esse.

10 Pręter has autem quas diximus, duæ illæ potentiæ, duas etiamnum alias, à prioribus ex rei natura distinctas singulæ singulas sibi poscunt ministrationes quas Productiones vocant. Ante has, omnis in natura diuina similitudo, nulla penitus est rerum differentia: per istas, si qua est, proprietarum diuersitas, personarumque constituitur pluralitas. Essentia ergo illa numeris omnibus absolutissima ex sua naturali perfectione omnem horrens solitudinem, admirandam sibi decernit τὴν τῆς ὑποστάσεων τριάδα vt inter plura, & suauior sit vitæ consuetudo, & dulcior enascatur imperij communitas, & iucundior fęlicitatis æternæ intercedat societas.

11 Hæc igitur natura secundum quòd huiusmodi est, & non per aliquid à se diuersum indiuidua, ex seipsis cuiusdam proprietatis absolutę accessione, primam sibi determinat in diuinitate personam; quæ cùm ad omnia munia vitæ obeunda nullius egeat, omniumq; naturalium perfunctionum (vt hic quoq; verum sit Philosophicum illud elogium) cuiuspiam sibi conformis procreatio, naturæ sit multò conuenientissima, alteram in diuinitate omnino sui similem generat personam, à se, re quidem, essentia verò nequicquam diuersam: qui cum tertiam eiusdem omnino substantię consortem (dum aliud adhuc principium productioni supersit idoneum) voluntate concordi edit subsistentiam.

12 Duæ sunt ergo in vniuersum productiones, quibus omnis essentię diuinæ expletur communio, quas ita peculiari quodā iure sublimis illa vendicat substantia, vt neq; plures neq; pauciores his possint in ea cōstitui. quibus natura nec producit aliquid, nec ipsa producitur, nec ex ea veluti materiæ potestate quippiam extunditur: sed illa est principium, ex quo potestas omnis producendi promanat, & terminus ad quem potissimùm vtraque communicatio collimat, estq; fons vnde omnis vita perfectioq; diuinarū scaturit subsistētiarū.

13 Est etiam (vt ex præcedentibus liquet) inter diuinas series quędam ordoq; ὑποστάσεις non vtiq; is, qui in rerum sublunariū processu, tēporum interuallis distincto, summā in ipsis manifestat imperfectionē: sed mora omni seclusa, naturæ originisq; successio quædam qua, & actus operatiui anteuertunt productiuis, & ea, quę non absimilem essentię sortita communitatem, essentialia dici solent, personarum propria præcedunt enunciata, & producentia productis, modo superiùs exposito, sunt priora.

14 Ex hac autem naturæ communicandæ facultate, nulla maior communicantibus: quàm recipientibus debetur dignitas, cum id supremæ subsistentiarum illarum repugnet perfectioni, & æquabili in res omnes authoritati. Neque relationes personarum suapte natura aliquam consecutæ sunt præeminentiam, rùm à compluribus, ijsque grauissimis Theologis, quam rectissimè non quantæ censeantur. Non ergo prima persona vincit nobilitate valentiaq; secundam, nec secunda, posteriorem se origine, virtute superat, neq; generans genito est augustius, neq; spirans spirato præstantius.

15 Diuinarum item sic habet origo personarū, vt illæ quibus inter se conferuntur proprietates, iam constitutis per absoluta quędam adueniant subsistentiis, magisque per se consistentibus nomina tribuant, quàm illarum existentiæ conferant. Vnde prior in diuinitate persona, generanda altera sui quàm simillima Patris cognomen recipit, genita verò filij, altera demùm voluntate producta, Spiritus sancti nomenclaturam sortitur. Tres ergo, vti fide edocti confitemur, in deitate subsistunt hypostases, Pater, Filius, & Spiritus sanctus, quarum quælibet per se, omnis termini expertem complexa est οὐσίαν & summam naturæ diuinæ pręsefert necessitatem.

## DE DIVINARVM ΥΠΟΣΤΑΣΕΩΝ proprietatibus exactiùs.

16 IAM verò totius Trinitatis caput Pater eſt, ex quo omnes bonitatis diuinitatiſque, haud ſecus acſi ex ampliſſimo vberrimoque fonte quodam, latiſſimi riui profluunt: qui ad benè beateque viuendum nullius indigus, ſeque ipſo contentus, nullum perſonis reliquis producendis, quo ante caruerit, conſequitur commodum. Quapropter nec ſapit ſapientia progenita, nec producto afficitur amore, nec quem Pater Filiuſq; mutuò ſibi impendunt ardorem, Spiritus ſanctus eſt, licet traducto ſenſu, valdeque impropriè id quoque paſſim concedi ſoleat.

17 Hic æterna illa quęque neſciat obliterari memoria verbum infinitũ neceſſitate naturali elicit, quod vſque adeò ſui dicentis refert naturam, & vniuerſa in ea contenta exprimit atque declarat, vt Apoſtolo, Splendor gloriæ paternę, figuraque ſuæ ſubſtantię peroptimè nuncupandum viſum ſit. Habet autem duplicem ſibi annexam habitudinem, vnam rei, rationis alteram, quarum ſuperiore, parenti ſuo nõ ingratas rependit vices, prolemq́, dilectam ſe eſſe fatetur: poſteriore verò, omnia quę infinita Patris continentur eſſentia repręſentat ac luce clarius manifeſtat.

18 Verbum iſtud omnis expers principij, nunquam incepta, nec aliquando tranſitura, & quę verbis explicari nequeat generatione, ex Patris ſubſtantia prognatum: ſibiq; ὁμοούσιον, totum in ſuo genitore permanet: atque ſua virtus, ars, ſapientia, potentiaq́; eſt, perq; illud vniuerſa condita ſunt. Et quamquam ex eadem, qua creaturarũ ęterna fluxerunt exemplaria, prodierit ſcientia, cum tamen eſſe quodcunque formarum pręceſſerit creandarũ, Verbum Idearum neutiquam cenſendum fuerit.

19 Genita demùm hęc ſapientia, ea lege paternę ab omni ortu alienę, à qua ex rei natura diſtinguitur, ſuccedit notitię, vt hęc illi producendę nihil omnino conferat, cùm, vti prædictum eſt, ſolam duntaxat memoriam, nulla cogitatione formatam, ſibi generandę poſtulet. Sed neque actu aliquo intellectus conuerſiuo Verbum hoc producitur, neque ad illud promendum aliquis intelligentię dicentis labor reflexione requiritur. Sua etenim productio quàm rectiſſima eſt, nulliq; comparationi obnoxia.

20 Sic itaque conſtitutis duabus pręditis [illegible] ſubſiſtentiis, propoſita eſt à natura neceſſitas quædam, alterius voluntate libera ſpirandę, qui Spiritus ſanctus eſt. Hic omnis in eſſentia diuina fœcunditatis, ſtabiliſſimus limes terminusque eſt: hic ternarium illum felicisſimum, naturę quodam inſtinctu apud omnes celebratiſſimũ, ita determinat, vt nulla amplius potentia ſit ſuperſtes, qua perſonarum illarum numerus augeatur.

21 Hic manat quidem è genitore genitoque media diuina rerum omnium gubernatrice voluntate, nec tamen aliquo modo generatur, cùm neceſſitate ſcilicet, ſed non naturali: quinimo ea quæ nulli arbitrij repugnet voluntati, producatur. Quare nec Filij natus, nec Patris nepos vocari poteſt, at peroptimè amborum nexus, amor, donum, charitaſq; Nam ab vtroq; liberrimè procedit, quàuis id peruersè vetuſtiſſimum illud Græcorum ſchiſma inficiari fuerit auſum; quod, vſque eò erroneum abſurdumque eſt, vt nihil intelligentia hominis illo ſit indignius, adeòque repugnans, vt ſanæ mentis judicio nullo pacto poſſit concipi.

DE AD-

## DE ADMINISTRATIONIBVS QVÆ AD extra pertinent; & primùm de Ideis.

22 VNIVERSORVM itaque opifex Deus, vnitus in essentia seu natura diuina, trinus autem in personis, immensa bonitate sapientiaque redundans, ab ęterno rerum omnium intelligentię suæ beneficio, atq; adeò necessario in se producit species: quæ nihil aliud sunt, quàm perpetuę quędã caussę & principia, vt singularia talia sint, quales sunt ipsæ: & quemadmodum sensibilium exemplaria ad hęc corpora pręcedunt, sic quę omnia in seipsis continent, pulcherrimæ atque perfectissimæ sunt formæ, ad quas á creatore Deo ab vniuersa substantia mundus simillime formatus est

23 Hæ sunt illæ normæ sempiternæ, quibus, si quid veritatis potissimæ in rebus per tẽpus ortis repetitur, totum acceptum referri debet: earumque natura immutabilis, momentaneum & caducum creaturæ esse, ratum stabileq; in se complectitur, ac semper repræsentat. Absque his & vniuersi totius cõpages prorsus nulla esset, & diuinæ fælicitati numeris omnibus absolutæ, non adeò benè consultum fuisset; ac in illis veluti libro quodam effectorum oĩum essentię, nec non ipsorũ proprię affectiones primitùs descriptæ cõtinentur.

24 Quod vt verum sit, Deumque cunctorum futurorum præscium fateamur, ex Ideis tamen nulla exacta contingentium scientia haberi potuit, sed indubitata eorum notitia, voluntatis ęternę dispositionem consecuta est: quę ob sui immobilitatem perpetuamq; constantiam, ést index, ac veluti Lydius lapis varietatis irregularitatisq; possibilium Ea demùm prouidentia Dei, quam impiè nonnulli de medio tollere conati sunt, nil obstat, quominùs creatura capax rationis innata sibi in omnes partes vtatur libertate.

25 Sic ergo diuina illa mens, plena creandorum omniũ rationibus, in qua vniuersæ res, nobilissimũ cognitionis illius, á qua formatæ effictæq; sunt esse consecutæ, vitam vixerunt pręstantissimam, absq; vllo temporũ initio: tametsi aliud aliquid á se, sui propriæ æternitatis particeps, potuerit effecisse, non tamen id libuit: sed immẽsa quadã duratione bonis naturæ suæ fruendo, in se ipsa perfectissimè quiescens, ac nusquam præter se existens, temporum quoque seriem, qua cæteris etiam suam manifestaret bonitatem, instituere ab æterno decreuerat.

## DE MVNDI, MATERIÆQVE PRIMÆ CREATIONE.

26 MOLITIONEM igitur hanc clarissimam ornatumq; totius aggressa vniuersi summa illa sapientia, initio rerum, omnium infimã (quod rectè χάος diximus) eamq; duplicem ex nihilo condidit materiam: quarum altera, elementorũm mistorumq;: altera verò cælestium nulli subiacentium interitui corporum, immutabile sempiternumq; foret principiũ. Quæ duę quanquam non mediocriter inter se distent, eam tamen pręter cæteras cõmunem obtinuerunt proprietatem, vt ambæ cõęquas sibi vendicarent dimensiones, quas interminatas appellant, quò formis illarum sustentandis essent aptiores, earumque receptaculum ac veluti hospitium magis idoneum fierent.

27 Hanc verò materiei congeriem (cùm omnino rudis impolitaque esset, ac omni prorsus

sus

sus forma, tum generica, tum specifica destituta, nec rerum aliqua, veluti quidā somnia sunt, intra se actu cohiberet semina: seq; ipsa ægrè subsisteret, quamuis propria non careret existentia) miris exornare contendit speciebus. Ac primùm quidem lucem, accidentium quæ visu notari possunt nobilissimum, corpore quodam condito illi sustentandæ idoneo, protulit, quæ lumen ceu speciem sui naturalem, vndeunde transmittens, ob scuram illam, indigestamque τῆς ὕλης colluuiem ab horrendis vindicaret tenebris.

## DE COELO EMPYREO NATVRAQVE ANGELICA.

28 TVM longè nobilissimum corporum omnium, ex altera materię parte præstantiori, æterna mens est architectata, cœlum dico Empyreum, luce decorū candidissima, totumq; veluti ardens; beatarum mentium (quarum alias sibi concreauerat, aliàs longo temporis successu illuc se traducturam destinauerat) sedem multò fœlicissimam. Hoc ambire suo circunflexu, contineteq; vniuersa, nec in alio à se loco quiescere atq; omnino fixum & immobile in se consistere voluit, in quo gloriæ suę thesauros rationis participi commostraret creaturę, sulq; videndę, ac perfruendæ potestatem faceret amplissimam.

29 Simul & intelligentias (vti diximus) mira quadam arte infinitas propemodùm produxit, cunctas sanè specificis ab inuicem distinctas formis, omnes expertes materiæ, perpetuò mobiles, immortales; quibus & species vniuersorum quę sunt, atque vnam longè ante alias præstantia insignem, quæ diuinam ad vnguem imitaretur naturam, ita affixit, vt facilè rerum omnium calleant proprietates. Nec tamen adeò exactam ab solutamque illis indidit scientiam, vt nulla ratione nouarum rerum experientia vsuq; perpolita possit incalescere, atque adeò in summam proficere.

30 Nec etiam præfatis speciebus, (quas mentis Angelicæ Ideas conuenienter dixerim) tantam rerum opifex necessitatem annexit, vt citra earum adminiculum intelligentlæ valeant nihil omnino cognoscere, cum illæ notitiæ duntaxat, quæ Philosophis abstractiua dici solet, deseruiant. Multò namque nobiliores, rebus in aliarum propria contemplandis existentia, intellectus possident functiones. Hinc quemadmodùm cæterorum omnium, ita sui quoque scientiam ex proprijs possunt expiscari essentijs.

31 Cæterùm natura isthæc Angelica admirabiliter insignis, paruo licèt admodùm post eius creationem facto interstitio charitate fuerit stabilita, vsque adeò, vt omnis sibi adempta sit inposterum delinquendi facultas; æternaque beatitudo pro illius modulo, proque sui conditoris arbitrio, exiguo post momento sibi collata esset; nihilominùs eiusmodi status gloriæque consors à primo sui ortus initio non erat, eùm & boni Spiritus propriam promeritis fœlicitatem quæsierint, & discoli eiusdem primùm cum illis gratiæ participes, liberæ vitio voluntatis perpetuis se supplicijs addixerint.

## DE RELIQVA COELESTI ATQVE elementari compage.

HINC deinceps vniuersorum Opifex DEVS, ad reliquam mundi accedens σύνταξιν, decem alias Sphœras seu globos, vastissimo cœli Empyrei contentas ambitu ex communi cœlestium corporum materia annotauit; quarũ tres quidem superiores, in se singulas, indiuiduas omnino atque continuas effecit; septem verò interiores Planetarum orbes miris partita est sectionibus. Nã (vti diuturna experientia certissimisq; παντοίαις edocti confitentur Astronomi) orbes ὁμοκέντρους καὶ ἐκκέντρους singulis corporibus difformiter sectis, illorum vnicuiq; ascripsit, nonnullis eorum ad motus quam diuersissimos peragendos etiam ἐπικύκλους adiunxit. Omnibus aũt regionis illius partibus virtutes, quas Influentias vocant, impressit, vt vel hac ratione perpetuæ rerum vicissitudini, multò elegantissimè consultum esset. Denique ad-

3 mirabile illud orbium σύνταγμα tãta varietate conspicuũ, ad rerum Fatum constituẽdum pertinere, quis sanæ mentis inficiari poterit? Cęli tamen sicut omni casu fortunaq; sunt immunes, ita nec vllis Fati subiacent legibus.

:3 Et quamuis cęlorum compago vniuersa, corporeum omnium longè nobilissima, sua materia formaq; constet, vti diximus; omni tamen admistione elementari prorsus est inanis. Sed neque quatuor primatum qualitatum aliquam, nec vllam his procreatarum intra se cohibet affectionem: verùm perpetuá, simplici, omniq; motu ac mutatione, rem ad exitium trahente, vacua prædita est natura, locum circundans immobilem, imum nempè mundi totius cardinem, quod Gręcis κέντρον dicitur, circa quem dena inferiorum orbium series mira æquabilitate cietur.

4 Vt iam non immeritò Aristoteli tota ætherea regio, quintam quandam ab elementis substantiam illamque simplicem statuere visa sit: cuius partes non afformantium, sed moderantium duntaxat formarum ministerio, in diuersas mundi plagas incedunt. Cum aũt nonnullę earum complures sibi conuersiones vendicent, has tamen neque inter se contrarias repugnantesue ratione vlla dixeris, neq; plures vnius eiusdemq; orbis proprias esse putaueris: sed vnam quidem sibi peculiarem, qua ab intelligentia motrice impellitur, reliquas aũt omnes, quotquot illæ fuerint à suis impressas ὁμοκέντροις omnino aduentitias. Cæterum quemadmodum cæli, naturalia quædam sunt corpora, ita & eorum lationes perennes, secundum naturam esse quàm maximè, iudicandum est.

35 Animus deinde ille creator, ętheris immensi eum in modum molitione perfecta, alteram indigestæ materię regionem exornare instituit. Atque initio quatuor corporibus simplicibus eam distinxit, quæ elementa vocant. In his itaq; perpetuum dissidiũ, vicissitudinemq; obseruare licet, cum vnum sæpè reficiatur ex alio, ac denuũm hoc alterum sibi vicinum corrumpendo in se mutuò conuertat. Totum nihilominùs aliquod in aliud penitùs, transire, parens rerum natura prohibet, ne hác ratione decori ac perfectioni vniuersi, mistorumq; etiam necessitati, aliquid derogetur. Nam ex his quatuor veluti materialibus immediatisq; principijs res sublunares omnes conflatæ sunt, cùm ex eorum materia, nec non & virtutibus primarijs, dispositionibus inquam accidentalibus (quæ certos adusque gradus remissæ ac multipliciter refractæ, varias temperamentorũ ędunt species) mistorum retinet compages.

36 Infimus autem mundi locus terrę obtigit, quæ impurissimum elementorum omnium, ac veluti fęx eorum communis, magnum extremorum motum vndique fugiens, globosam sortita formam, in mediam vniuersi sedem suapte natura delata est: vbi veluti punctum quoddam indiuiduum comparatione reliquorum mundi corporum desedit. Huius concauitatibus aquarum illuuies intercepta quieuit: vt quę quondam passis brachijs omnem soli planitiem complexa erat, nunc vitæ animantium stirpiumq; gratia, præfinitis inclusa locis, solis ardores cobibeat, terræq; siccitatem moderetur.

37 His demum superimminet àër, qui trina diuisus regione varijsq; qualitatibus affectus, diuersis mistorum imperfectorum generationibus est peruius. Cuius media plaga frigore rigens assiduo, latiùs iuxta polos mundi, angustiùs verò propè Aequatorem protenditur, cum ibi longe à solis remota obtutibus, horrore brumali amplius faciliusq; sæuiat: hic verò solaribus compressa radijs, atque ignis ęstuante impulsa feruore, arctioribus se

se

se contineat finibus. Ac viceuersa partes supremę & infimæ regionum, circa mundi vertices restringuntur: partes verò earundem mediæ inter vtrunque polum dilatantur. Tria insuper iam recensita ignis complectitur: qui adeò purus rarusq; est, vt à nobis visu notari, aut aliquo sensus iudicio percipi nequeat.

38 Hæc quatuor nullam inter se perpetuam conseruant ἀναλογίαν cum terrę magnitudine multis partibus aqua superetur, vt interim taceam aërem quoque multò minorem esse globo ex laticibus soloq; confecto, dum vix quinquaginta duobus millibus passuum plus minus, (vt summi quique demonstrant optici) in altitudinem porrigatur. Hęc deinceps omnia quantitate quadam propè immensa ab igne vincuntur. Vnde iam pridem explosa est decuplam inter elementa proportionem statuentium sententia, quę & experientijs certissimis, & accurato Mathematicorum calculo absurdissima esse conuincitur.

## DE PRIMI HOMINIS FORMATIONE

39 PRincipibus mundi partibus ita dispositis, terrestrique globo varijs, tum viuentium, tum omnis vitæ expertium, speciebus exornato, ad extremũ homo ipse, qui veluti rex cunctorum esset, atq; ad eum perinde acsi ad finem propositum cætera collimaret omnia, formatus est. Huic suæ creationis initio pignus ęternæ vitę, iustitia originalis collata fuerat: qua facilius suauiusq;, & sui creatoris benefacta pensaret, & innatam sibi innocentiam tutaretur, & absque vllo negotio sensuum petulantiam, quæ illum suis eblanditum lenocinijs, aliquò trahere potuisset deuium, reprimeret atque coërceret.

40 Cum autem creatura omnis ea lege à suo fluxerit conditore, vt in illa non parua bonitatis immensæ reluceant signa, nec obscura Trinitatis æternæ appareant indicia, quę à Theologis nunc vmbræ, nunc verò vestigia passim iam vsurpatis nuncupantur vocabulis: homo sanè omnium quàm maximè diuinam refert imitaturq; naturam. In ipso etenim clarissima similitudo imagoq; venerandæ τριάδος expressa est, quam rationis participis animæ facultates, dum sibi proprias asciscunt ministrationes (absque harum siquidem adminiculo id fieri nequit omnino) integerrimè constituunt.

## DE INCARNATIONE VERBI, Iustificatione impij, Sacramentis in genere, deque æterna beatitudine.

41 CVMQVE iam nulla propemodùm earum quæ mole corporea sunt prediṫæ rerum, ita Dei capax fieret vti homo, nec verò is diu naturæ suæ bonis potiretur, sed mellitis sensuum obsecutus blanditijs, sui conditoris mandata transgressus esset: atq; ita & iustitiæ à principio concessæ sibi suisq; posteris ornamenta perderet (quo solo delicti originalis vniuersa constat natura) & fęlici statu miserè in deteriùs mutato, perpetuę damnationis reus fieret, sanè non poterat ille

pacto

pacto aliquo absolui reatus, nisi æterno consilio, Dei filius humanam sibi copulasset substantiam, in qua perditionis nostræ damna conuenientissimè resarciret.

42 Nec verò culpæ illius primitiuæ abolendę, hominisq; à miserrimę captiuitatis seruitute asserendi caussa duntaxat, Verbum Dei seruilem sibi asciuisse naturam credendum est: sed eò vel maximè perpetuum spectasse decretum, vt humano generi etiam si id nunquam deliquisset, clarissima visione Dei, cuius gratia conditum erat, nobilitando interiùs, atq; optatissimo suauissimoq; Christi Domini aspectu reficiendo exteriùs, hac ratione quàm optimè prospectum esset. Iunxit ergo sibi fragilem hanc substantiam Dei filius, atq; illa vnio ita sui est propria, vt totius Trinitatis minimè sit communis: in qua nulla naturarum permistio, nec aliqua vnius in alteram facta est conuersio: sed licet diuersæ ac omnino dissimiles, in vnicã tamen eamq; simplicissimã cõuenere subsistentiam.

43 In qua quidem ἐνουσιώσει nihil diuina persona indignum, nihil rerum naturæ aduersum actum est, cum & singulæ hypostases, singulas quinetiam plures creatas sibi possent hoc pacto annectere naturas: quamuis (vt Anselmus quoque author est) tres personę hominem eundem assumere nequeant omnino. Nec demùm naturam assumptã subsistentiæ assumenti voluntate stabili, amoteq; summo, continuò coniungi erat necesse: quandoquidem rationis quoq; ac vitę omnis expertem substantiam, diuinarum personarum alicui, isto modo copulari potuisse, nefas non sit credere.

44 Ex hac præterea suspicienda vnione, incommutabile Dei Verbum, quanquam corruptioni obnoxiam, tormentisq; destinatam contraxisset naturam, vt ratione sibi ascitæ substantię verè supplicijs affectum trucidatumq; prędicetur: animęq; suæ pars tum sempiternis contemplandis dedita, tum etiam inferioribus moderandis nata (quæ duæ ratione tantum ab inuicem differunt) nullos tristitię sensus dolorisq; perturbationes non fuerit experta: natura tamen assumpta, plurimis inde ijsq; prętantissimis fuit decorata muneribus.

45 Etenim si rationem spectes, qua, cum sit substantialis pars animæ, nihil dignius (vnica voluntate excepta) in homine reperias; ea certè altissima rerum scientia Intelligentias etiam prętare videtur. Præter enim vniuersaliores rerum formas, quæ sibi cum Angelicis ordinibus cõmunes obtigere: præter rerum singularum Ideas, quæ illis quidem denegatę, huic verò à natura insitę fuère, ipsa profectò clarissima Dei visione, eiusq; absolutissima fruitione, nulli vnquam naturaliter concessa creaturę, necnon, qua maior reperiri requeat, gratia, anima Christi statim à principio sui ortus erat dignata.

46 Ergo tam admirabili adeò disparium substantiarum concordia, incredibile sanè est quanta bonorũ accessio generi humano acta sit. Nam iustitia superiore (cuius possessione vita, amissione verò mors animę constabat) perdita, isto sacratissimo naturarum nexu, haud difficulter hominis damna restituta fuère: ita tamen, vt idem, fomitem malorũ, concupiscentiatumq; quotidiana ludibria, veluti certissimum delicti semel commissi in se experiretur supplicium.

47 CHristus enim à primis sui conceptus primordijs, vsq; eò patrem suum, (cuius prædestinatus quidem, nequicquam tamen adoptiuus est filius) demereri occepit, vt eius nobilissimis interuenientibus promeritis, prima gratia (quam nemo, quantumuis industriæ suę neruos omnes in hoc contenderit, adipisci, neq; ei recipiendę, quantumcunq; pro se egerit idoneum sese reddere potest) vniuersis collata sit, quę nobis natura iræ ac vindictæ filijs, originalis iustitiæ vices obiret. In hac potissimùm vniuersa mortalium iustitia consistit, quandoquidem diuinitùs humanis illapsa mentibus, bonorũ actuum cunctis est origo, qui tantisper rationem meriti explere non valent, dum Deo penitùs accepti fuerint. Hęc & charitas passim vocitari solet, non ea quidem increata, verùm animos nostros mirificè conformans, præstantissimum reuera mentis humanę decus ac ornamentum.

48 Deus itaque optimus, qui nullius in operando eget auxilijs, quiq; ita res efficiendis procreandisq; rebus pręfecit, vt etiam per se solum administrandi vniuersa facultatem sibi reliquerit: sciens lubricam humani generis ad malum pronitatem, quodque culpa

ori-

originali inclinatum infirmius esset, quàm vt gratiam semel collatam retinere posset, hac quoq; in parte liberalissimè sibi prospicere dignatus est. Nam & legis naturæ temporibus, ab ipso data certa non defuere media, quibus peccata expiarentur, gratia conferretur (quæ quidem ambo ita sunt connexa, vt tametsi vnum sine reliquo ex sui natura optimè valeat consistere, qua tamen suauissimè disponuntur omnia, diuina illa ἀταξία adamantino quodam vinculo ipsa copulauit) & multò magis Circuncisio data patribus conferendis hisce nata fuerat. Verùm longe amplius vberiusq; Ecclesiæ Sacramenta, nobilissima legis nouæ pignora id præstare, nullatenus est ambigendum.

49 Est enim Sacramentum sacræ rei signum, vt eius similitudinē gerat, & caussa existat. Vnde sacrosancta istæc signa, quàm optimè gratiæ virtutūq; diuinitus infusarū vasa atque instrumenta dici possunt; non quòd aliquam istarum in se formaliter cohibeant, cum ad id nulla omnino illis sit potestas: nec quòd viribus proprijs in anima aliquid verè efficiant, cum & gratia & cunctę mentem ad ipsam præparantes, si quæ sunt qualitates, à Deo creentur immediatè, cuius etiam solius est Sacramenta instituere. Præterea Sacramentorum quodlibet verbis constat & rebus, & licet vtraque hæc materiam cuiusuis Sacramenti statuant, quàm rectissimè tamen in illis materiale ac formale distingui solent. Sacramentorum item nonnullæ menti humanę perpetuum quendam imprimunt χαρακτῆρα (quem verisimile est formam quandam absolutam esse, distinguendi caussa vel maximè, citra vllum medium à Deo infusam) quędam nihil sempiterni in animo relinquunt, vnde & repeti possunt, reliqua verò non item. Si quid autem illis roboris, si quę dignitas, aut si quis vsus est, oīa sanè mediatoris Christi Domini sacratissimæ passioni accepta referri debent: quæ vel eo quàm maximè sunt nobis tradita cōsilio, vt perfectè dispositos, peridoneos nos redderēt æternæ beatitudini, de qua iamiā dicturi sumus.

50 Summum ac præstantissimum vniuersę ratione vtentis naturę bonum, felicitas est non ea quidem Aristotelica (qui suum quoque ius hìc interponere posset, nisi caduca, fortunæq; casibus exposita quædam, beatitudini alligasset, atq; illam hac in vita varijs ærumnis pressa, malorumq́, fluctibus agitata haberi posse existimasset) verùm quicquid adeò perfectum, adeò naturę sit consentaneū, vt eo nil melius, conuenientius, celsiusùe expeti queat. Sanè huiusmodi est illa desideranda cum optimo supremoq; fine copula, quæ facultatum nobilissimarum functionibus, rationis inquam ac arbitrij vndequaq; liberi (sed huius potissimum) gestionibus, ceu catenis quibusdam arctissimis absoluitur. Hæc est illa Christiana fęlicitas, quæ vniuersa mundana pręstat gaudia, quæ cunctis opibus honoribusq; est augustior, quæq; nec labore acquiri, nec sudoribus vllis dignè parari queat, verùm sola diuina gratia supplicibus humilibusq; donetur.

Laus DEO, ac Deiparæ semperque virgini Mariæ in omnem æternitatem.

Disputabuntur in Ara cæli, Mense Iunio Die 1 Hora 19.

ROMAE, ex Typographia Titi & Pauli de Dianis, 1588.

SVPERIORVM PERMISSV.